



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciæ

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Eidem Candido Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



E I D E M
C A N D I D O L E C T O R I .

Cum hanc Inscriptionum variarum collectionem
absolvisset, eamque jamjam typographo missu-
rus essem: in manus meas pervenerunt Monumē-
torum Italæ libri i v. à viro CL. & multarum rerum pe-
ritia & experientia claro Laurentio Schradero recens di-
vulgati. ē quibus ipsis quoque pauca quædam , instituto
huic meo accommodata, describi, & huic farragini addi
curavi. Sicuti etiam interea temporis Itinerarium mihi
suum animo promptissimo communicavit, vir genere &
doctrina nobilis & præstans, D. Joachimus Bassivitius
Consiliarius Megapol. & regius, dux olim meus, cùm flo-
rentibus integer annis in pulcherrima & nobilissima ur-
be Florentina hujuscemodi monumentorū φιλοθέωρο
essem: & nunc quoque Musarum nostrarum fautor & pa-
tronus integerimus. Ex quo sané ipso Itinerario Bassiviti-
ano non contempnenda ad hanc ἐπιλογὴν nostram ma-
ximè Italicarum, Gallicarum & Anglicarum inscriptio-
num facta est accessio. Quod ideo quoq; hīc censui indi-
candum, ne laboris & industriæ alienę fructum mihi vin-
dicare velle, videri alicui parum mihi æquo possem. Vale
iterum. B. Cal. Septemb. anno 1593.



E I D E M .

T E moneant Lector tot in uno funera libro,
Tempore quod certo tu quoq; funus eris.



EIDEM LECTORI S.

Delicias tibi polliceor, res ardua dicas?
Non nego, nec cunctis una eademq; gula est.
Quod sapit huic, aliis mox nauseat. & mibi miré
Quod placet, hoc poterit displicuisse tibi.
Convivas igitur frugi hic imitabere, qui non
Perdices tantum, aut Bacchara vina petunt:
Sed panem, & ptisanam, & Nicri quoq; pocula gustant,
Quae sitis, & faciunt deliciosa famas.
Hac duo condimenta dapum sunt optima, gratos
Sive animis spectes corporibus ve cibos.
Quin his ex vicibus major quoq; gratia ferclis
Accedit, sine quis gaudia cuncta jacent.

Nathan Chytræus.

CONTEMPTORI INSCRIPTIO- num novarum.

Cur admirator veterum solummodo, temnis
Hac nova? quandam etiam prisca fuere nova.
Ætatem his concede suam, sicut q; vetusta
Hac etiam, novitas qua modo spreta facit.

Nathan Chytræus.

Vita viatoris quasi transitus, omnia finem
Mundus hic immundus que veneratur habent.
Transit honos, transit fortuna, pecunia transit,
Mente Deo similis corpore transit homo.
Transire patres, simul hinc transibimus omnes,
In calo patriam, qui bene transit, habet.

Frid. Widebramus.

AD CLARISS. ET DOCTISS. VI- rum Dn. Nathanem Chytræum

EPIGRAMMA.

Non opus est, Chytræ, tuas post funera laudes
Sculpier in saxo, quod tua membrata teget.

Scribae

Scribatur nudum post fata in marmore nomen,
Ut tumuli quondam sit nota certa tui.
Quae post te vivent vigilis monumenta laboris,
In laudes sat erunt officiosa tuas.
Johannes Pincier Medicinæ D.
& Professor Herbornæ.

ADMONITIONES ITER FA-
ETURIS IN UNIVERSUM NECESSARIÆ.

Si animo vultuq; humilis, prodeesse curvis,
Si licet, & nulli sit nocuisse labor.
Sedulus in propriis, aliis alienare linquens;
Prudenterq; fides cui sit habenda, vide.
Multæ audi, dic pauca, tace abdita, disc e minoris
Parcere, majori cedere, ferre parem.
Sobrius, & vigil, & verax simul esse memento;
Promtus amare bonos, & tolerare malos.
In primis reverere Deum, qui cernit & audit
Omnia, quem prorsus fallere nemo potest.
Hoc faciens, poteris peregrinos inter ubiq;
Salvus & in media vivere barbarie.

Nathan Chytræus.

MENANDER.

Ἐένω μάλιστα συμφέρει τὸ σωφρονεῖν.
ἘένΘ ὡν ἀπεργμανίδι, καὶ πεφένεις καλᾶς.
Ἐένον δὲ σιγὰν κρείτιον, οὐ κεκραγέναι.
ἘένΘ πεφυκώς, τὰς ἔεινοδόχους σέβει.

ALIUD.

Virtutes gens quaq; suas, sua crimina in orbe,
Cum terrarum habeat; nilq; omni ex parte beatum
Sit; peregrinantes nefödam imitemur arachnen,
Cui rosa materies lethalis pura veneni est.
Quin imitemur apes potius, qua ē flore aconiti
Dulcia mella legunt, ē crudo nectar acantho.

Nathan Chytræus.